

& essentia unitatem à tribus in cælo testibus disertè remover. Unde *ἀνώμα* ille Arianus contra quem Zanchius scripsit tom. 8. oper. antith. 37. col. 902. ad Calvinii & Erasmi auctoritatem provocat. Hemming. in comm. 1. Joh. 5. *cum hæc verba ab alio videantur interposita, ideò illa omitto.* Sed alii ex Calvinianis rectiùs statuunt, locum hunc esse genuinum & omninò retinendum. Beza in annot. major. *Hic versiculus omnino mihi retinendus videtur, explicat enim manifestè, quod de sex testibus dixerat, tres seorsim cælo, tres terra tribuens.* Rud. Gualtherus homil. 31. in 1. Johan. 5. pag. 71. *Quamvis sint, qui prius membrum de tribus in cælo testibus adulterinum esse & à Sciolo in marginem ascriptum, tandem in orationis contextum irrepisse putent, moventur hi quorundam Patrum auctoritate & imprimis Cyrilli, qui cum locum hunc citet, membrum tamen illud omisit.* Sed nos Hieronymum sequi malumus, cum sæpè accidat, ut in Scripturis citandis multa intermedia omittantur tam à priscis quàm recentioribus Scriptoribus, &c. Aretius in comm. hoc loco pag. 109. *Hunc versum deleverunt ex Syriaco Testamento indubiè Ariani, qui hoc fulmine prosternuntur validè, ideò olim quoque in multis exemplaribus Græcis & Latinis defuit.* Sed habent hæc verba hodiè correctæ exemplaria omnia & legit eadem Augustinus & Hieronymus, ideò non moveat nos Syriacum exemplar. Zanchius d. 1. & lib. 1. de tribus Eloh. cap. 1. lib. 8. cap. 5. contra Arianos eum vel maximè urgeri posse statuit. Polan. in Synt. pag. 219. *Versiculus ille procul dubio ab Arianis est erasus, insidiosè prædicantib. eadem versu sequente iterari, utque ommitteretur facile obtinentibus apud imperium Ecclesie & ignavum librarium vulgus.* Constantii maximè & Valentis temporibus Franc. Jun. in annot. *Ego ab Arianis versiculum illum olim abrasum puto, Pisc. & Tossan. in Bibliorum versione eum retinent.*

13. B. Luthero nostro grandem eo nomine Pontificii 3. B. Luth. scribunt dicam, quòd in Germanica versione hunc versiculum omiserit. Pist. in lib. de sign. ant. & novæ fidei p. 6. Germani-Tann. in annat. Augustan. Confess. part. 1. demonstr. 2. §. 24. *cis hoc di-* in dioptra fidei part. 1. cap. 5. pag. 81. *ubi inter corruptelas etiam omi-*